






Mosheim / Joh: Laur: / diff: de Cireles in  
Christi, Helv. 1740

pfaffij / Christoph: Matth: / diff:  
de Celo Beatorum, Tübinger  
1722

Rendonij / Amb: / Theser de  
Symbolo Apostolico, jene  
1589

diff: de Deo ac tribus  
personis, jene 1589.


- 5 Schmidt f. Joh. Andre f. Muller Hete,  
rodoxa, Helvst 1697.
- 6 ————— Diff. de monumento  
Abrahamis Helvst. 1702.
- 7 ————— Diff. <sup>sistom</sup> Lingua tis Mysterium  
Trinitatis predicatorum, Helvst. 1726
- 8 ————— Diff. de Armatura Spirituali  
Helvst. 1701
- 9 ————— Diff. in qua Nova Oracula  
Zachariani, Helvst. 1725.
- 10 ————— Diff. sistens Oraculum  
a Reberra consultum, Helvst.  
1726.
- 11 ————— Diff. cum tota Ruptur,  
Helvst. 1735.
- 12 ————— Diff. de institutione  
Antechetica, Helvst. 1701
- 13 Schrammij f. Joh. Cour f. Diff. de Re  
per Angelos disposita, Helvz
- 14 ————— Diff. de fundamento par  
Religiose, Helvst. 1726
- 15 ————— Diff. de agnitione &c  
etc.





- 16 Schrammij s. Ion. Cor. diff. de  
uno Ico oblyorum ab Epaja  
rejecto, Hclnff. 1734.
17. ——— sistens psalter pro.  
pheta de vanis contra Christianum  
Ici filium Confilijs, Hclnff. 1727.
18. ——— sistens psalter pro.  
pheta de verbis ultimi Christi  
moriens, Hclnff. 1728.
19. ——— diff. II ad Apologiam  
Augustane Confessionis, Hclnff.  
1737.
20. ——— diff. ad Articulos  
Smalcaldicos, Hclnff. 1736
21. ——— sistens psalter pro.  
pheta de precibus Christi  
contra maledicos, Hclnff.  
1728.
22. ——— psalter propheta  
de Majestate Christi redento.  
rur, Hclnff. 1727.

23. Schrammij / Joh. Courj / cogitationes  
theologicae, de cogitationibus.  
Helmst. 1727.
24. ————— diff. de demonstrativa  
Scripturam S. interpretandi me-  
thodo, Helmst. 1728.
25. Strubij / Henr. Julij / diff. de  
Catechismo Beati Lutheri  
Helmst. 1614.
26. Tity / Gerh. / diff. de gratuita  
justificatione peccatoris,  
Helmst. 1656.
27. ————— diff. de passione  
missæ sacrificiū, Helmst. 1658



DISSE<sup>1</sup>TATIO THEOLOGICO-EXEGETICA  
SOLENNIS  
DE  
**ECCLESIA CHRISTI**  
EJUSQUE  
**MINISTERIO,**

AD MATTH. IX. V. 37.38.

SUB AUSPICIIS DIVINI NUMINIS  
IN ACADEMIA JULIA

PRÆSIDE

MAGNIFICO DOMINO VICE-RECTORE

**JOH. LAURENTIO MOSHEMIO**

S. THEOL. D. EJUSDEMQUE PROFESSORE PRIMARIO  
SEREN. DUCIS BRUNSVIC. ET LUN. A CONSIL. CONSIST. ET  
ECCLES. ABBATE MONASTERIORUM VALLIS S. MARIE ET  
LAPIDIS S. MICHAELIS, SCHOLARUM IN TERRIS GUELPHICIS

EPHORO GENERALI, ORDINIS SUI H. T. DECANO,  
FAUTORE ET COLLEGA SUO HONORATISSIMO,  
PRO SUMMIS IN THEOLOGIA HONORIBUS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

D. XXIII. JUNII A. R. S. MDCCXL.

HORIS ANTE ET POSTMERIDIANIS

PUBLICE DEFENSA  
AB AUCTORE

**HEINRICO JOH. BYTEMEISTER,**

CELLENSI,


PHILOS. D. ET S. THEOL. PROF. PUBL. ORD.

HELMSTADII,

TYPIS PAULI DIETERICI SCHNORRII,

ACADEMIE TYPOGRAPHI.







## § I.



Uemadmodum articulus  
doctrinæ Christianæ de  
ECCLESIA, quæ Salvato-  
ris nostri JESU CHRI-  
STI peculium est, neces-  
sitate, utilitate, et jucun-  
ditate sua fese quam ma-  
xime commendat: ita Theologo etiam be-  
ne mereri de eadem Ecclesia cupienti conve-  
nientissimum est, ut ejusdem articuli de Ec-  
clesia, atque ejusdem ministerio, quo DEUS  
in eadem colligenda utitur, dignitatem et

A 2

præ-

præstantiam e Scriptura S. ostendat, atque adversus conatus dissentientium, qui hæreticorum veterum hoc de articulo somnia, subtiliori velamine obvoluta, in lucem iterum protrahere non erubescunt, strenue defendat.

## § II.

Succurrit vero hic mihi oraculum Salvatoris nostri gravissimum, quod præcipue hoc quadrat, atque hanc in rem singularem opem præstare potest, et legitur M A T T H Æ I Cap. IX. vers. 37. 38. in quo Salvator noster sub schemate messis breviter quidem, egestie tamen adumbravit et ostendit tum *Ecclesiæ indolem et collectionem, tum operario-rum sive ministrorum functionem et laborem gravissimum:* quod quidem, dum dissertationis inauguralis loco animus est expende-re, ita pertractare constitui, ut ea, quæ ad ejus illustrationem et pleniores intellectum facere videntur duobus CAPITIBUS, altero *exegetico*, altero *dogmatico-morali* breviter absolvam.

TEX-

## TEXTUS ORIGINALIS

MATTHÆI IX. CAPITE, V. 37. 38.

ita se habet:

Τότε (ὁ ἸΗΣΟΥΣ) λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτῷ·  
 Οὐ μὲν θεριμὸς πολὺς, ὁ δὲ ἐργάται ὀλίγοι·  
 Δεκήποτε ἐν τῇ Κυρίᾳ τῇ θερισμῇ, ὅπως ἐνβάλῃ  
 ἐργάτας εἰς τὸν θερισμὸν αὐτῷ.

B. LUTHERUS noster sic vertit:

Da sprach er (JESU\$) zu seinen Jüngern: Die Erndte ist groß, aber wenig sind der Arbeiter. Darum bittet den Herrn der Erndte, daß er Arbeiter in seine Erndte sende.

## CAPUT I.

## EXEGETICUM.

## § I.

**Q**uoniam itaque, quinam sub schemate oraculi hujus doctrinæ salutaris sensus exhibeat, explicare constituiimus, ante omnia observamus occasionem, qua Salva-

A 3

tor

tor noster commotus fuit ad oraculum hoc proferendum: habebat vero ad hoc faciendum causas gravissimas, quod quidem *ex collatione versiculorum antecedentium ejusdem IX. capituli Evangelii MATTHÆI* clarissime appetet. Instituerat enim antea Salvator CHRISTUS visitationem ecclesiasticam per Galilæam, urbes omnes et vicos peragraverat, in Synagogis docuerat, Evangelium prædicaverat, et miraculis confirmaverat. *Videatur v. 35.* Statum quoque animarum populi Judaici, fermento doctrinæ Pharisaicæ, aliorumque pseudo-doctorum erroribus seducti, miserum non sine maxima animi commotione pervidebat, pro uti illud ipsum locutione illa, quod ἐσπλαγχνίδη περὶ αὐτῶν, *commota sunt viscera ipsius super iis*, ab Evangelista satis emphatice exprimitur: Viderat enim, ὅτι ἡσαν ἐκλελυμένοι κοι ἐρριμένοι ὥστε πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα: *quod erant turbæ dissipatae et disiectæ*, sicut oves pastorem non babentes. Atque hæc quidem conditio misera, in qua populus Judaicus doctrina, pædia et paraclesi debita destitutus reperiebatur, Salvatori nostro ansam dedit, non

non tantum de hacce calamitate populi intime dolendi, sed etiam desiderium suum populo huic misero succurrendi, atque, quod idem ministris verbi genuinis et fidelibus opus habeat, discipulis suis indicandi: hinc quoque Apostolos suos seorsum alloquitur, ut declareret, sese eosdem huic animarum curæ in ecclesia gerendæ destinasle, prout eadem hæc historia vocationis Apostolicæ in verbis mox sequentibus *Capitis X. MATTHÆI vers. I. et seqq.* plenius narratur.

### § II.

Quando itaque Salvator noster sic oritur: Ο μὲν θεοτόκος πολὺς, *Ipsa quidem mes- sis multa*, articulus præpositivus vim demonstrationis hic habet, dum Dominus noster ad turbam Judaicam congregatam, ex multitudine ingenti constantem, provocat.

### § III.

Vox θεοτόκος *proprie* notat *messem*, hoc est, *copiam frugum colligendarum*, significatione omnibus scriptoribus familiari: hic vero *figurata* accipitur pro copia animarum ingeniti,

ti, in quibus fructus spirituales producendi, atque DEO colligendi sunt; atque hinc similitudo messis hoc loco *in sensu latiori* est accipienda pro iis, quae messem antecedere, comitari et subsequi solent: namque animæ illæ colligendæ tantum non erant, sed prius colendæ, sementes Verbi Divini in illis faciendæ, atque fructus hinc producendi.

#### § IV.

Constat ex hisce, per Σεριμὸν, messem, commode intelligi collectionem Ecclesiæ, per prædicationem Verbi Divini factam, quæ quando efficax est, homines ad CHRISTUM, Dominum et caput Ecclesiæ, colligit.

#### § V.

Neque hic silentio prætereundum, quod sub hoc schemate *a messē desumto*, in Scriptura S. non solum Ecclesiæ militantis et regni gratiæ collectio, quæ fit per Verbi Divini prædicationem, exhibeat, prouti in loco præsenti; sed quod sub eodem quoque schematismo congregatio Ecclesiæ tri-

um-

*umpphantis et regni gloriæ, quæ in consummatione seculi futura, a CHRISTO propo-*  
*natur, prout e M A T T H. Cap. XIII. v. 30. 39.*  
*et 41. apparet, ubi messores in messe Dei dicuntur angeli.*

### § VI.

Dicitur porro in oraculo præsenti *Ἱερομόδις πολὺς, messis multa seu magna, tum propter cœtum ingentem hominum incredulorum convertendorum, tum propter multitudinem per Verbum divinum efficax conversorum: præscivit enim Salvator noster, hominum innumera millia per conciones Apostolorum ad fidem in se esse perducenda.*

### § VII.

Messe considerata, objectum proximum tractationis nostræ sunt *operarii, eorumque functio, et labor gravissimus.* Salvator primum dicit: 'Οἱ δὲ ἐγγάται δλιγοι, Operarii autem pauci sunt. Ἐγγάτης generatim quidem omnem *operarium et laborantem* designat; speciatim vero denotat *agricolam*, qui in rure colendo et meste colligenda occupatur:

B

patur: nam ἐγράσθαι Græcis scriptoribus ii dicuntur, qui *terram fodiunt et arant*: teste inter alios Guil. BUDÆO in *Commentariis linguae Græcae* p. 147.

### § VIII.

Intelligendi vero hoc loco sunt ἐγράται seu *agricolæ in sensu reduplicativo*; operarii nimirum *vere tales*, qui diligenter laborant, atque strenue ea agunt, quæ ad messem peragendam requiruntur.

### § IX.

Sub hocce vero schemate agricolarum nobis sistuntur *Ministri Verbi Divini*, qui ita dicuntur ob laborem curatum, quem in producendis et convertendis ad CHRISTUM, Ecclesiæ caput unicum, hominibus impendunt; non tamen omnes, sed ii tantum, qui vere tales sunt, atque vera et genuina media, in Verbo divino ostensa et præscripta, ad hunc finem obtainendum, adhibent.

### § X.

Hoc ipsum quidem manifesto exinde patescit, quod CHRISTUS h. l. dicit, hujus gene-

generis *operarios* esse ὀλιγες, paucos; quæ vox sicuti pro substrata materia est interpre-tanda, ita de nullis aliis accipi potest, quam de paucis illis genuinis operariis, qui tempo-re CHRISTI adhuc supererant; quales e. g. erant JOHANNES Baptista, aliqui regnum Dei hominibus annunciantes: hi itaque *pau-ci* dicuntur non solum *in se et respectu numeri*, sed etiam *respectu populi ingentis*, imo tot populorum, quos, per orbem di-spersos, idem docere non poterant; unde opus erat, ut multi mitterentur, qui specia-tim hujus vel illius loci homines docerent; quod postea, imprimis post ascensionem CHRISTI, factum est, cum Apostoli et disci-puli CHRISTI, mandato Domini sui obtem-perantes, in omnem mundum exeuntes, et ipsi Evangelium prædicarent, et in Ecclesiis Ministros Verbi divini constituerent. Cete-rum, si ab allegato hoc sensu paucitatis ab-strahamus, negari nequit, operarios in ec-clesia Judaica nunquam defuisse, quippe in qua numerus ingens erat Sacerdotum, Le-vitarum, Scribarum, et Legis peritorum,

qui in obeundo munere ecclesiastico et Lege  
divina perscrutanda occupati erant : at enim  
vero hosce CHRISTUS Salvator pro opera-  
riis non habet, sed eorum laborem tanquam  
levem et inaneim considerat, quoniam iidem,  
Legis cortice externo contenti , intimiora  
ejusdem negligebant, Evangelium de Re-  
demtore Messia nec intelligebant, nec doce-  
bant, atque hinc animas ad CHRISTUM non  
ducebant et salvabant, sed ab eodem abdu-  
cebant, et perdebant : qua de re, prouti ex  
historia Evangelica paucim apparat, Salva-  
tor noster saepius gravissime fuit conquestus.

### § XI.

Pergimus ad considerationem vocis  
~~deeđai.~~ Hæc quidem vox significatione sua  
primitiva non tam quaslibet preces , quam  
potius *precationem* , seu *orationem indigen-  
tium* indicat : quo quidem significatu fatis  
emphaticè indicatur , quod discipuli CHRI-  
STI duodecim , Apostolici sui muneris , cui  
jam prima vice à magistro suo destinati  
erant , primordia facere debeant prectione  
seria ad Deum , ut ipsos donis iis ac viribus  
instruere

instruere velit, quæ ad munus Apostolicum  
rite suscipiendum, atque feliciter imple-  
dum forent necessariæ.

### § XII.

Κύριος Θεοίσμος sive *Dominus messis* di-  
citur *paterfamilias*, non solum respectu pos-  
sessionis, sed etiam respectu potestatis et dis-  
positionis, quoniam in laboribus messis o-  
mnia pro lubitu et arbitrio suo ordinat,  
constituit, et gubernat.

### § XIII.

Per *Dominum* autem *messis* hoc loco in-  
dicatur *DEUS* ipse, ad quem precationes  
pro Ecclesia colligenda et stabilienda sunt  
faciendæ; nam *DEUS* tum est *Dominus Ec-  
clesiae*, quam pro λαῷ εἰς περιπόμονων, populo  
peculii sui agnoscit, secundum *I. Petr. Cap.  
II. v. 9.* tum quoque ejus administrator sum-  
mus, dum media salutis ordinat et largitur,  
ministros Ecclesiæ vocat, atque eosdem sa-  
cerdotali muneri præponit. At vero cum  
hic *Dominus messis* spiritualis sit herus abso-  
lutus, resque suas circa messem ubique pro-

arbitrio suo instituat: è contrario autem dominus messis in populo Judaico olim in plerisque certis legibus et traditionibus alligatus erat, hinc simul patet, quod hæcce similitudo non in universum, sed tantum *in certo quodam tertio comparationis* à Salvatore nostro fuerit adhibita, adeoque sic admittenda sit.

### § XIV.

Vox ἐνθάλλειν generatim quidem significat *emittere*, interdum tamen quoque *impulsum* simul involvit, si non violentum, singularem tamen, quo quis movetur: sic enim de CHRISTO MARCI Cap. I. v. 12. dicitur τὸ πνεῦμα ἀυτὸν ἐνθάλλει: *Spiritus ipsum impellens fecit exire*: quo indicatur peculiaris, cum voluntate tamen propria, conjunctus impetus. Ita etiam hoc loco de operariis dicitur: Eosdem non solum à Domino messis emitti, sed quoque impulsu Dei, et vocazione velut interna, primis Novi Testamenti temporibus, in messem extrudi; prout factum est in Apostolis CHRISTI; dein vero media-

mediata et ordinaria, ut temporibus sequentibus factum, agi et ad munus sacrum ablegari. Neque tamen hic omnis violentia neganda videtur, cum constet, Deum interdum quoque homines renitentes vocasse, et ad munus sacrum suscipiendum et obeundum quasi coegerisse: prouti hujus rei exemplum habemus in Propheta JEREMIA Cap. I. prophetiae ejusdem. Præterea τὸ ἐνθάλλειν notiōnem quoque habet copice insignis emissæ, qualis emissio in pluvia, aliisque rebus, quæ largiter et copiose effunduntur, observatur, ad indicandum, Doctorum, qui in messem Dei emittendi sint, numerum omnino magnum requiri.

## § XV.

Attendi vero hic quam maxime mereatur vox autem, ipsius, quando messis tribuitur DEO tanquam ipsi propria, et dicitur θεοὶ μός autem, messis ipsius: adeoque indicatur, DEUM ideo messem curare, quia sua sit, ideoque ministros suos, non in aliena, sed in sua et propria, quæ ipse semenaverit, mittere, ut animas

mas sibi proprias colligant, atque à cœtu  
damnatorum segregent.

### § XVI.

Quodsi autem diabolus quoque habet  
messem suam, eandem habet falce in alienam,  
nimirum DEI, messem immissa, et sacrilegio  
e messe DEI surreptam: hinc in oraculo no-  
stro vox ἐργάτας seu operarii accipienda pro  
operario genuino et fideli, cum diabolus quo-  
que suos habeat ἐργάτας, et operarios, falsos  
nimirum Doctores, qui ab Apostolo PAULO  
in *II. ad Corinthios Capite XI. v. 13.* Ψευδο-  
πόσολοι, ἐργάται δόλιοι, μεταχηματιζόμενοι εἰς  
ἀποσόλας Χειρὶς h. e. falsi Apostoli, operarii  
dolosi, qui transformant se in Apostolos CHRI-  
STI, appellantur.

### § XVII.

Demum adhuc memorabile, Salvatorem  
nostrum idem hoc oraculum h. l. ante III. Pa-  
scha Ministerii sui, ante missionem XII. Apo-  
stolorum propositum, repetere post Pascha  
tertium Ministerii sui, cum LXX. discipu-  
los suos emitteret, teste Evangelista *Luca*  
*Cap. X. v. 2.*

CA-

## CAPUT II.

## DOGMATICO-MORALE.

## § I.

Postquam capite præcedenti breviter ostendimus, quinam sit verborum illorum, ex quibus oraculum nostrum constat, sensus verus et genuinus, ordine nunc sequitur, ut quoque, quænam exinde fluant dogmata paucis exponamus. Sunt vero eadem sequentia.

## § II.

*Ecclesia Dei* vera in hac terra omnino datur, tum voce *generalius* accepta, *visibilis*, quæ cœtus est hominum vocatorum, prædicationem veram Verbi divini, et dispensationem veram Sacramentorum habentium, profitentium et propugnantium, tum *specialius* ita appellata et *invisibilis*, quæ cœtus est hominum vocatorum, qui è Verbo divino fidem acceperunt, atque in fide salvantur: Utraque collectio DEI in oraculo nostro sub scheme messis repræsentatur.

C

Nam

Nam quod ad priorem collectionem attinet id, quod extra messem, rite distinguendum ab eo, quod in messe colligitur. Messis enim hæc, quæ in regno gratiæ divinæ colligitur, in eo consistit, quod Deus per prædicationem Verbi sui sibi colligit cœtum, in quo verbum illud recte docetur, et cuius cœtus membra quoque per totum orbem terrarum possunt esse dispersa, idque visibiliter, ita, ut hic quidem provinciæ et civitates integræ, illic vero aliquot tantum, aut singuli homines sint, qui religionem veram habeant, et communionem cum vera illa Ecclesia profiteantur.

### § III.

In hac Ecclesia seu cœtu fidelium datur I. *Veritas doctrinæ et Sacramentorum*, aliena ab omni falsitate: namque quemadmodum in messe non sentes et lolium, sed verum tantummodo frumentum in fasciculos colligitur; ita quoque Ethnici, Judæi, Muhamedani, Athei, Naturalistæ, et id genus alii profani homines, quatenus tales manent, et vocationem divinam respuunt, ab illa messe

messe Dei penitus excluduntur, et sunt sicut  
lolum aliquando comburendum.

II. Datur *unitas membrorum externa per Verbum Dei et usum Sacramentorum oriunda et comparata*; per quæ membra fiunt unius corporis externi, quod uti *Ecclesia* recte appellatur, ita proprie dicta et vere talis Ecclesia est.

III. Notanda ejusdem *distinctio duplex*, tum à falsis cœtibus et Ecclesiis, quæ Christianorum quidem nomen gerunt, verum tamen verbum DEI, et rite prædicatum, non habent, tum ab illis, qui Christianorum nomen plane non gerunt, sed istud potius aversantur.

IV. *Permisiō bonorum et malorum*, id est, eorum, qui Verbum Divinum cum fructu salutifero audiunt, et eorum, qui idem audiunt sine fructu salutari, audiunt tamen, veramque ejusdem prædicationem non rejiciunt: prouti in messe quoque tritici omnes spicæ una simul colliguntur, et comportantur, tam plenæ, quam inanes. Hinc quoque CHRISTUS MATTHÆI Capite XIII. v. 30. aperte dicit: *Utraque, triticum et zizania, una cresce-*

re: Conf. v. 38. et *ibidem* v. 47. addit: *Regnum cælorum simile esse sagenæ jactæ in mare, in qua ex omni genere piscium, boni et mali, colligantur.* Errat itaque cœtus Fanaticorum, qui Ecclesiam veram visibilem non concedunt, sed visibilem Ecclesiam sine distinctione contemtim vocant *Catervam externam ita dictæ Christianitatis*, den äußerlichen Haussen der so genannten Christenheit.

#### § IV.

*Ecclesia Dei* vera *propriissime* sic dicta, quæ ex *solis fidelibus*, per Verbi divini puram prædicationem regeneratis, justificatis et sanctificatis consistit, vocatur *invisibilis*: non quidem ratione occultationis omnimodæ, aut ratione subjectorum quomodounque consideratorum; namque eadem consistit ex hominibus, quoad externam faciem vere visibilibus et conspicuis: sed *invisibilis* dicitur, tum, quia vera fides, qua membra hujus Ecclesiæ cum **CHRISTO**, ut capite, conjunguntur, ejusmodi quid est, quod in sensus externos non incurrit, sed soli **DEO** omniscio patet,

tet, tum, quia manifestatio hujus Ecclesiæ in  
hac vita non exspectanda, sed in die demum  
extremo futura est; ideo etiam *hæc collectio*  
*ad gloriam æternam* sub schemate messis in  
Scriptura S. MATTHÆI Cap. XIII. v. 38. et  
seqq. sicutur, in quantum eadem constat non  
sola collectione, sed etiam separatione puri  
ab impuro, hoc est, piorum ab impiis; *probe*  
*distinguenda* ab ea, quæ per Verbum Divinum  
fit in regno gratiæ ad gratiam DEI percipiendam,  
et in qua collectores sunt Ministri Ec-  
clesiæ, de qua in oraculo nostro agitur. Er-  
rant itaque graviter, qui Ecclesiæ, quæ pu-  
ram Verbi Divini prædicationem, adeoque  
vera salutis media, habet, ob scandala homi-  
num nonnullorum, pro Ecclesia vera visibi-  
li agnoscere nolunt, sed talem cum SCHWEN-  
FELDIO et veteribus DONATISTIS aut inter  
suos, aut nuspianam dari fingunt.

## § V.

Cum Ecclesia nostra, in qua per DEI  
gratiæ Verbum divinum pure prædicatur,  
vera sit DEI messis, et cœtus Domino messis

C 3

spiritu-

spiritualis deo consecratus, quantumcumque hypocritis sit intermixtus; eadem quidem adhuc opus habet operariis, qui bona Divina, Ecclesiæ suæ concredita, dispensent, fideles in bono confirment, et peccatores convertant, atque ad salutem perducant, illud tamen operarii, quatenus ipsis cum Ecclesia nostra res est, circa Ecclesiam jam plantatam, non autem demum plantandam occupantur: plantanda enim Ecclesia ex meritis irregenitis componitur, quorum nonnulli vel plures paulatim ad CHRISTUM perducuntur. Errant itaque, qui Ecclesiam nostram adhuc plantandam dicunt, quia ratione vitae multum in ea desideretur.

## § VI.

Cum Christus in oraculo explicato messem ab operariis accurate discernat, patet hinc, probe observandam esse distinctionem et discrimen inter docentes et auditores, sive operarios et animas, circa quas operantur; non itaque vult status in coetu Dei inter se turbatos, vel Ecclesiasticum statum prorsus sub-

sublatum; id quod contra hodiernos FANATICOS et QUAKEROS, qui unicuique pio munus publice docendi competere statuunt, probe est notandum.

### § VII.

Deus pro sapientia sua infinita nullo quidem tempore prædicationem Verbi sui puram prorsus et ubique cessare sinit: certo tamen intervallo seculorum atque ætatum promulgationem Evangelii illustriorem instituit, quam conversiones gentium integrarum sequæ sunt. Probatur hoc ex oraculo Salvatoris dicentis: *Messiem adesse magnam et copiosam*, hoc est, collectionem Ecclesiæ illustrem et solennem, atque hinc numero majori operariorum, sive doctorum opus esse: quæ quidem collectio Ecclesiæ solennis initium suum cepit, cum CHRISTUS Apostolos suos ad populum Judaicum mitteret, teste *Capite X. MATTHÆI.*

### § VIII.

Ecclesia vera est cætus fidelium sub capite CHRISTO collectus, eundem solum Domini num

*num agnoscens, à quo ratione fidei et internæ administrationis dependet: quæ cum ita sint, eadem non agnoscit caput visibile monarchicum, CHRISTO adjunctum vel substitutum, cui in credendis se subjiciat: namque in oraculo nostro unus sstitutus Dominus messis; reliqui omnes sive dicantur episcopi, sive doctores, sive diaconi, sive nomine quocunque alio veniant, omnes sunt ἐγγάρται, operarii, qui in colligendis et perducendis ad CHRISTUM animabus pari labore fungi debent, quamvis ordinem quendam externum interesse possint habere, et qua dignitatem sibi invicem subordinari.*

## § IX.

*Quamvis ad bonum et genuinum ἐγγάρτην, seu operarium, vel Ministrum DEI requiratur, ut non solum donis ministrantibus, sed etiam sanctificantibus probe instructus, atque exornatus sit, adeoque hominibus, ad Ecclesiam Dei collectis, vitae sanctæ exemplo præluceat; exemplum tamen operarii seu Ministri DEI et in ipso innocentia morum ad*

ad ipsam messem colligendam causaliter non influit, sed *vera messis* colligitur solo donorum ministrantium exercitio, nimirum per prædicationem Verbi Divini puram, quamvis se ipsum, tanquam exemplar gregis imitandum, non sistat; namque conversio hominum non dependet ab exemplo ministri, sed ab actu prædicationis Verbi Divini, qui ex institutione divina in se efficax est, proti Scriptura Sacra in pluribus locis illud testatur.

### § X.

Quod Deus benignissimus sibi colligit ex genere humano *Ecclesiam*, quæ non solum ipse in regno gratiæ fideliter serviat, bonisque ejusdem fruatur, sed etiam in regno gloriæ beatitudinis æternæ particeps fiat, hoc inter beneficia, quæ DEUS generi humano exhibuit, maxima est referendum, ideoque DEO gratiæ decentes ac debitæ agendæ sunt. Pertinet huc monitum Apostoli PAULI Epistolæ ad Colossenses Capite I. v. 12. et seqq.

D

§ XI.

## § XI.

*Status hominum extra DEI Ecclesiam viventium, priusquam per Verbum Divinum ad Ecclesiam colliguntur, est miserimus: nam animæ ipsorum sunt steriles, veluti spicæ, quæ glumas quidem habent, sed granis carent, quæ in messe futura Satanæ servirent, nisi DEUS ipse per media gratiæ easdem præpararet, regeneraret, adeoque ad Ecclesiam suam perduceret. Quamobrem non postrema quoque officiorum, quæ Christianis incumbunt, pars est, ut oremus pro hominibus omnibus, tam pro iis, qui membra Ecclesiæ DEI jam sunt, ut in agnitione veritatis, et fide conserventur et corroborentur, quam pro iis, qui ad Ecclesiam nondum perducti adhuc extra eandem degunt, aut ab eadem Ecclesia misere abducti sunt, ut DEUS eosdem, instar ovium errantium ac seductarum, ad veritatem cœlestem amplectendam trahat atque reducat, adeoque Evangelio suo portam magnam aperiat. Conf. Epist. ad Coloff. Cap. IV. v. 3.*

## § XII.

## § XII.

*Ministerio ecclesiastico dignitatem non  
exiguam conciliat, atque vocationis ejusdem  
eximiam præstantiam ostendit, quod DEUS,  
secundum oraculum CHRISTI, non angelis,  
sed hominibus operariis in colligenda messe  
sua utitur, qui quidem non solum rebus di-  
vinis pertractandis, Verbo Divino et Sacra-  
mentis rite administrandis defunguntur, sed  
etiam eo ipso in animabus ad CHRISTUM  
Salvatorem perducendis et convertendis o-  
mneum curam consumunt: quod quidem,  
uti excellentiam muneris ecclesiastici omnino  
probat, ita quoque Ministris Verbi Divini  
veris eo magis incitamento magno est, ut  
hanc Ἑξοχὴν atque eminentiam suam, non in  
temporalibus querant, sed in spiritualibus,  
ac omni labore et studio id agant, atque in  
id incumbant, ut Domino messis multum  
lucri faciant, ne à Domino suo, ut servi in-  
utiles, reprobentur, atque abjiciantur.*

## § XIII.

Quin *Satanas*, hostis generis humani  
D 2 infen-

infensissimus, omnes astutiæ et potentiae suæ nervos eo intendat, *ut si DEUS permittere velit, ejusdem messem evertat*, aut saltem *damnum huic messi inferat*, sine ullo dubio est: quod quidem diabolus modo præcipue duplice efficere studet et solet; tum quando auditores à Verbo Divino et Sacramentis ad contemtum, teporem aut frigus in rebus sacris seducit, atque iisdem, ut Ministerium Verbi divini vili pendant, et contemnant, inspirat, unde paulatim vel ad traditiones humanas abripiuntur, vel irreligiosi sunt; tum quando Ministros Verbi Divini per illecebras varias in munere sacro remissiores ac segniores, aut in vita impios reddit, aut in doctrina ipsa ad falsas opinaciones inducit; quibus modis *seducendi omnibus opponendæ sunt seriae preces*: hinc CHRISTUS dicit: Δεῦθητε, orate. Conferantur verba Paulina ad Ephes. Capite VI. v. 10--19. et ad Coloss. Cap. IV. v. 3.


## § XIV.

Demum cum missio operariorum seu mi-

ni-

nistrorum Verbi Divini *sit opus singulare Domini messis*, id est, DEI, atque ex eadem documentum curæ et providentiæ Divinæ circa salutem hominum procurandam prorsus singulare eluceat: hinc æquum et justum omnino est, ut *Ministerio Verbi Divini honor debitus quoque deferatur*: namque cum CHRISTUS in oraculo explicato pro missione ministrorum Verbi Divini precari jussérit, hinc etiam sequitur, ut pro eorundem missione et ablegatione non solum DEO, Domino messis, gratiæ devotæ sint agendæ, verum iidem quoque ita excipiendi atque honorandi sint, prouti decet excipi et honorari operarios DEI, ad salutem hominum procurandam unice destinatos: ad quod quidem officium iisdem præstandum notabili quoque adhortatione Apostoli PAULI excitamus I.  
*ad Corinthios Capite IV. v. 1. et seqq. cum  
qua conferatur Epist. ad Titum  
Cap. II. v. 15.*






EO.-Reg. 2002


01 A 6727



WA

Rho





( 8 . )

**DISSERTATIO THEOLOGICO-EXEGETICA  
SOLEMNIS  
DE  
ECCLESIA CHRISTI  
EJUSQUE  
MINISTERIO,**  
 AD. MATTH. IX. V. 37.38.  
 SUB AUSPICIIS DIVINI NUMINIS  
 IN ACADEMIA JULIA  
*PRÆSIDE*  
 MAGNIFICO DOMINO VICE-RECTORE  
**JOH. LAURENTIO MOSHEMIO**  
 S. THEOL. D. EJUSDEMQUE PROFESSORE PRIMARIO  
 SEREN. DUCIS BRUNSVIC. ET LUN. A CONSIL. CONSIST. ET  
 ECCLES. ABBATE MONASTERIORUM VALLIS S. MARIE ET  
 LAPIDIS S. MICHAELIS, SCHOLARUM IN TERRIS GUELPHICIS  
 EPHORO GENERALI, ORDINIS SUI H. T. DECANO,  
*FAUTORE ET COLLEGA SUO HONORATISSIMO,*  
 PRO SUMMIS IN THEOLOGIA HONORIBUS  
 ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS  
 D. XXIII. JUNII A. R. S. MDCCXL.  
 HORIS ANTE ET POSTMERIDIANIS  
 PUBLICE DEFENSA  
 AB AUCTORE  
**HEINRICO JOH. BYTEMEISTER,**  
 CELLENSI,  
 PHILOS. D. ET S. THEOL. PROF. PUBL. ORD.  
 HELMSTADII,  
 TYPIS PAULI DIETERICI SCHNORRII,  
 ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

